Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35046
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

grano · et fornax auro · et lima
ferro · hoc tribulatio iusto · Vnde
proverbiorum 17 · Sicut in igne probatur
argentum et aurum camino ·
Ita corda probat deus · In hac
fornace sunt folles dyabo-
lice suggestionis quorum
flatu succenduntur carbones
id est ignea desideria · luxurie
vel avaricie · Ibi sunt lime scilicet
lingwe detrahencium · Ibi sunt
mallei persequencium · Ibi sunt
forcipes adulancium · qui cap-
tos retinent ne evadant
a fornace dyaboli · Hijs instru-
mentis utitur faber mundi
id est demones ad fabricandum elec-
tos · et formandum ut vasa
in honorem · et detergendum omnes
rubigines viciorum · Iuxta huius-
modum vocat dominus Nabuchodonosor
novaculam suam · ysa. 7º · In die
illa radet dominus in novacula
acuta · in hijs qui trans flu-
men sunt · id est in bonis qui transi-
erunt flumen id est fluxum divi-
ciarum et deliciarum huius mundi ·
in rege assiriorum · id est in tyran-
nis · qui sunt novacula domini
caput et pilos pedes id est sup-
flua omnia cordis et corporis ·
et barbam universam · Vocat eum
etiam virgam et baculum suum ·
virgam vocat quia per eam corrigit
filios · baculum quia flagellat
suos · Et sunt per virgam vel ba-
culum · quia vel quos percussit fili-
um vel servum proicit in ignem ·
Ita dominus tales cum deservierint
in electos proicit in Gehen-
na · ysa. 10 · Ve assur · virga fu-
roris mei et baculus ipse est ·
Post sequitur 17º deus probat cor-
da · sicut igne probatur argentum
et aurum camino · Vnde 2m hu-
gonis cardinalis proverbiorum 17 · Tria
sunt probatoria boni auri ·
Primum est ignis fornacis ·
2m tactus lapidis · tertium repo-
sitio in luto · Sic viri iusti
tria habent probatoria · Primum
est ignis tribulacionis · Vbi
sicut aurum in fornace munda-
tur · mundatur iustus ab omni
sorde · 2m est probatorium
laudis humane · Vbi sicut aurum
in tactu lapidis cognoscitur
sic iustus in laude hominis ·
Si enim inficitur vel afficitur ea
reprobus est · si non probatus est
de hoc dicitur proverbiorum 27 · Quomodo pro-
bat in conflatorio argentum
et in fornace aurum · sic probat
homo ore laudancium ·
Artifex enim suo storia auri
vel argenti igne consumitur
Substantia auri vel argen-
ti integra et purior rema-
net · Sic homo iustus non lauda-
bilis extollitur · nec vituperio fran-
gitur · Sic vero aurum et argentum

336